Si refectus fuerit tandem potu meo.
Tibi cantet gloria in excelsis deo. — Vinum

Ad hanc vocem aquis celi concitatis
Quasi racionibus vini reprobatis
Inclamantes forcius vocibus levatis
In terra pax hominibus bone voluntatis. — Aqua

Quibus ego vocibus tandem post examen
Excitatus extuli sompni velamen
Et laudum consonans patrem natum flamen
Terminans in gloria dei patris amen. — Vinum

Explicit disputacio inter vinum et aquam.

53

Incipit disputacio inter membra regalia hominis

Spiritus cordis et oculi non sentit ipse iurgia
Non novit qui sit stimulus vel culpe seminaria
Causam nescit piculi cur affluant convicia
Cur procaces et emuli replicant in se vicia.

Cor sic affatur oculum te peccati principium
Te fomitem te stimulum te mortis voco nuncium
Tu domus mee ianitor hosti non claudis ostium
Familiaris proditor admittis adversarium. — Cor

Cordi ~~respon~~ respondet ocul(us) iuste de me q(ue)reris.
Oculus. Seruus tibi sum sedulus execucior q(uo)rum iusseris.
Nonne tu michi p(re)cipis sicut et membris ceteris.
Non ego: tu te decipis miti(us) sum quo miseris.

Nonne fenest(ra) diceris qua mors intrat ad animam.
Cor. Nonne quod vides sequeris ut hos ducat ad victimam.
Cur non saltem q(uo)s ing(er)is sordes lauas p(er) lacrimam.
Aut quare non ex illis mentem fermentatus azimam.

Cur dampnatur aptitudo corporis necessaria.
Sine cuius obsequio cuncta languent officia.
Oculus. Quod si fiat inceptio p(er) me fenest(ra) prima.
Cur ergo recepti nuncio que putatur iniuria.

Addo quod nullo puluere quem iunctam polueris.
Nullum malum te ledere potest nisi consenseris.
Item oculus. De corde mala prodeunt nichil in ictu pateris.
Virtutes non interremit nisi culpa commiseris.

Visum sic utrumque disputat soluto pacis osculo.
Racio litem amputat diffinitiuo sub calculo.
Racio. Utrumque reum reputat sed non pari periculo.
Nam cordi culpam imputat occasionem oculo.

Explicit disputacio inter membra.

Iusto versu sunt septem peccata mortalia.

Primum. s. a. l. i. g. i. a. septem sunt fugienda.